

3. In usu sensus consequentis *duo errores cavendi* sunt: ne praemissa humana seu propositio auxiliaris falsa sit, neve conclusio vitiosa fiat. Sensus consequens ex falsa praemissa auxiliari recte deductus vocatur *parhermeneuma*, sensus autem consequens ex vera praemissa auxiliari vitiosa conclusione deductus dicitur *paralogismus exegeticus*.

## CAPUT SECUNDUM.

## Systemata antichristiana.

## ARTICULUS PRIMUS.

## Interpretatio Judaeorum.

§ 97.

## Interpretatio Judaica antiquior.

1. — *Interpretatio antiqua tradita*. Antiquissimi Scripturae

A. T. interpretes sunt procul dubio Judaei, inter quos libri sacri nati sunt. Lex jam a Moyse sacerdotibus et levitis tradita est, qui eam custodirent, paelegent et explanarent. (Deut. 17,8—12. 18. 31,9—13. 24—26. II. Esdr. 8,1—9. Luc. 4,16. sqq. Act. 13,15. sqq. 27. 15,21.) Tempore judicum et praecipue regum prophetae a Deo missi religioni atque interpretationi legis invigilabant. Post captivitatem orti sunt legisperiti et eorum scholae; mox synagoga magna, et aetate Machabaeorum synedrium instituta, ut rebus populi civilibus sacrisque praeescent. Quae scholae et instituta non poterant etiam in interpretationem Scripturae non incumbere vel ei saltem non invigilare.

Sane de regulis modisque interpretationis, ante Christum apud Judaeos observatis, pauca scimus. Quum tamen Judaeis saltem antiquioribus lingua librorum sacrorum esset vernacula, res biblicae iis obviae atque experientia cognitae, traditiones Scripturae interpretatrices praesentes, ipsaque Biblia propter magnum in quo erant, honorem ac frequenter paelectionem notissima; praesertim autem, quum Deus peculiarem religionis Judaeorum curam haberet: non est dubium, quin rectus Bibliorum sensus iis apertus notusque fuerit. Interpretatio eorum erat practica, prophetarum et synagogae auctoritate nixa. Certum est jam ante Christum praeter sensum litteralem etiam spiritualem seu typicum ab iis admissum et investigatum esse.

Interpretatio haec venerabilis in libris Ant. Test. deuterocanonicis, in versione Alexandrina, ex parte etiam in antiquioribus targumim (Ongelesi et Jonathanis ben Uziel), sed praecipue in libris Novi Test. scriptisque discipolorum apostolorum conservata est, et in quantum a Christo ejusque apostolis approbata, ecclesiae Christianae haereditate obvenit.

At jam tempore hellenismi, quum philosophia moresque Graecorum Judaeos contigissent, et diversae inter Judaeos factiones sectaeque ortae essent, multi eorum de recta interpretationis via decidere coeperunt. Alii enim traditiones falsas praeter legem induxerunt, alii autem allegoriis plus justo indulgabant.

2. — *Interpretatio pharisaico-talmudistica*. Tempore Machabaeorum (si non ante) in scholis legisperitorum secta pharisaeorum paevaluuit; post eversionem autem urbis ea fere sola scholarum rabbinicarum magis efflorescentium dux ac domina facta est.

Principia interpretationis pharisaico-talmudisticae sunt sequentia.

a) Moyses in monte Sinai praeter Legem scriptam etiam legem oralem a Deo accepit, quam senioribus tradidit. Haec autem lex per seniores ac prophetas, et post captivitatem per synagogam magnam scholasque legisperitorum conservata est ac propagata. Duplex ergo est fons legum (moralium, juridicarum, liturgicarum): Lex Moysis scripta (Torâ), et lex a Moyse verbis data et postea traditione conservata. Traditio illa primo tantum exegetica, non constitutiva habebatur, idest legem scriptam explicans, non novam legem statuens. Ideo interpretes toti in eo erant, ut omnes leges traditas consuetudinesque humanas ipsa Torâ bene intellecta contineri probarent, ejusque auctoritate munirent. Plerumque autem propria placita Legi supponebant. Interpretatio ipsa Scripturae vocabatur *midras* מִדְרָשׁ i. e. inquisitio, exegesis; interpretatio autem tradita (sensus traditionalis) vocabatur *šema'ata* שְׁמַעֲתָא auditio.

Procedente tamen tempore traditio altera praeter Toram lex ab hac independens facta est, eaque multo quam haec amplior, temporibus accommodata, necessitatibus vitae consulens, populumque a gentibus sepius instar separatura. Leges istae dehinc vocabantur altera *migra נִגְרָה* (lectio) i. e. scripta, altera *mišnâ* hebr. מִשְׁנָה vel rabb. *mišnâ* מִשְׁנָה (duplicatio, repetitio, secunda pars, deuteronomos) seu lex verbalis.

b) Leges et ex Torâ deductae, et ex traditione haustae (et plerumque ad Toram revocatae) vocabantur *halakhâ* (הַלְּחָדָה, itus, via, viae monstratio, ductus, mos, lex a תְּלִמְדִים ivit). Explicatio autem et illustratio halakharum aliorumque locorum, item tractatio eorum philosophica vocabatur *haggadâ* vel in Talmude *aggadâ* (הַגָּדָה a תְּלִמְדִים = nuntiavit, narravit, seu תְּלִמְדִים idest annuntiatio, narratio, doctrina). Expositio halakhica dicebatur a Moyse tradita, authentica, publica, quam impugnare non licebat; explicatio autem haggadica erat docta (philologica, archaeologica, historica etc.), quae sententias et disputationes doctorum, philosophiam, ethicam, ascensem, poësin, exegesim (plerumque allegoricam et mysticam), multa etiam ridicula ac fabulosa continebat, et nonnisi privatam auctoritatem habebat, quam ab auctore accepit.

c) Leges atque observantiae, sepius instar religionem Judaeorum dispersorum usque adventum Messiae protecturae, paulatim ipsi rei protegenda praevaluerunt. Ita orta sunt α) vera legis Mosaicae adoratio anxiumque litterae ejus studium, essentia et consilio Legis postpositis. β) Prophetarum et hagiographorum, religionem antiqui testamenti ex institutione divina perficientium neglectus, minorque his quam Moysi attributa inspiratio.<sup>1</sup> γ) Justitia illa legalis pharisaica, i. e. perfectio moralis non in sanctitate ac virtute animi posita, sed in externa *vitae* ratione et observantiis.

d) In interpretatione Scripturæ rabbini distinguunt sensum obvium (עֲשֵׂה auditum), quem voces ipsae per se quasi ipso auditu simpliciter exprimunt, et derivatum, explanatum (הַרְשָׁת = inquisitio, explicatio), qui scrutatione reperitur. Sensus obvius est litteralis (עֲשֵׂה expansus, apertus), et arcanus seu realis, spiritualis (סֹוד mysterium). Derivatus est deductivus (הַרְוִישׁ = quaesitus, collectus), qui logica conclusione vel ex traditione colligitur, in haggada praevalet, ac plerumque allegoricus vel mysticus est, — et artificiosus (עֲשֵׂה nutus, indicatio), qui arte et arbitrario (e. g. idearum associatione, e scriptione plena aut defectiva, contextu neglecto) conjicitur. Primitus litteris nominum quattuor illarum inter-

<sup>1</sup> Rabbini postea Toram finem mundi et creationis fecerunt, imo legem aeternam ante mundum existentem. Toram ab ipso Deo phylacteris (tephillin) induito praesertim sabbato legi dicebant atque inquirebant. Tempus aliud negotio, quam studio legis impendere; ideo (praesertim pharisaei) omnem operam, etiam lectionem cuiusvis libri profani prohibebant, ipsasque preces, ne iis a studio legis avocarentur, omittabant. In omnibus litteris legis sensum quaerebant.

pretandi rationum conjunctis vocabulum פֶּרְשָׁת efficitur, quod paradisum significat, utpote qui interpretatione Bibliorum aperiatur.

e) Rabbini talmudistae ut argumenta Christianorum ad vaticinia Messiana in Jesu Christo impleta provocantium declinarent, locos A. T. Messianos prava interpretatione ad alium sensum detorserunt. Imo fuerunt Christiani, qui eos consultae vaticiniorum corruptionis accusarent; sed sine probabili, ut putamus, causa.

Interpretatio hujus sectae praeter pauca in libris sacris N. T. memorata, in targumim, versione Aquilae, quibusdam midrašim, sed maxime in Talmude ejusque supplementis (tosephta, barajta) et commentariis nobis conservata est.

*Ad refutandam interpretationem pharisaico-talmudisticam* pauca dixisse sufficiat.

a) Etiamsi Moyses revera aliquas leges viva voce tradidisset, eae certe in posterioribus libris sacris et antiquissimo populi usu quaerenda essent, non in traditione scholarum, ad Moysen valde recentium. Aetate quidem Christi legem verbalem exstitisse, libri Novi Test., Philo et Josephus Fl. testantur; sed in libris Ant. Testamenti vestigia legis traditae nulla inveniuntur. Imo certum est, traditionem pharisaicam et rabbinicam non multo ante primum a. Christum saeculum, quin magna ex parte post Christum inter legis peritos ortam, et falso Moysi atque antiquis attributam, et violentissima ac sophistica interpretatione legis Mosaicae probatam esse. Maxima ergo pars halakharum non minus quam haggada est opus humanum, imo saepe vile commentum.

b) Prophetae et hagiographi perinde atque ipse Moyses inspirati erant; perperam ergo hic illis tantopere anteponitur.

c) Ipsa lex Moysis populo in deserto viventi data, tum ob necessarium atque a Deo intentam revelationis perfectionem, tum propter mutata tempora moresque non erat in perpetuum mansura, neque omnibus temporibus accommodata.

d) Lex Mosaica civilis simul et religiosa justitiam sane externam urgebat, sed sanctimoniam internam quoque praecepit, quam externae justitiae praeferendam et imprimis sectandam esse, prophetae instantissime flagitabant. Itaque post prophetas et hagiographa litteris legis Mosaicae stare, relapsus erat ad statum religionis jam pridem ante superatum, vel potius adulteratio ipsius legis Mosaicae.

e) Interpretatio pharisaica et talmudistica, plerumque sophistica et ridicula, praeceptis sanae hermeneuticae repugnat. Specialiter

interpretationi locorum Messianorum, quam talmudistae proponunt, tum monumenta antiquae Judaeorum fidei ac traditionis intemera-tae (versio Alex., antiquiores targumim, scripta apostolorum etc.), tum ipsa verba Scripturae, philologicè, logice et historice exami-nata contradicunt.

3. — *Interpretatio allegorica.* Quum Judaei tempore hellen-ismi contactum ac vim philosophiae, morum, cultusque civilis Graecorum experti essent, quidam eorum, imprimis Aegyptii (Alexandrini) narrationes Scripturae miraculosas pro allegoriis habere coeperunt. Causae hujusmodi interpretationis, praeter ani-mum Aegyptiorum ad symbola inclinatum, erant exemplum stoicorum, mythologias Graecas allegorica interpretatione sanae menti probantium, item studium Judaeorum libros sacros Graecis com-mendantium, et ne ansam miracula ridendi darent metuentium. Itaque allegoristae distinguebant sensum litteralem seu corporalem et allegoricum seu spiritualem; illum tantum rudibus et indoctis destinatum, quibus Moyses facta miraculosa narrando se accom-modasset; hunc a sapientibus et doctis investigandum, et ex involucris sensus litteralis velut fructum e cortice eruendum. Ita hujuscemodi interpres plurima facta historica atque ipsas doctri-nas tamquam meras allegorias interpretati sunt. Traditionem tamen Judaeorum nec illi omnino rejecerunt.

Vestigia hujus interpretationis, si Ps. Aristaeae fides sit, jam saec. III. ante Christum, apud ipsos Judaeos Hierosolymitanos inveniantur. Hic enim, ut fertur, unus ex Ptolemaei Philadelphi (284—247) legatis in re versionis Graecae ad Eleazarum pontificem missis, in sua illa de origine versionis Alexandrinae epistola huic pontifici allegoricam interpretationem animalium mundorum et immundorum tribuit. (Euseb. Praep. ev. VIII. 9.) Certum est autem saec. II. a. Chr. ab Aristobulo philosopho Judaeo peripatetico interpretationem Pentateuchi scriptam esse, Ptolemaeo VI. Philometori (185—146.) dedicatam, ubi omnia fere allegorice explicantur, quo Graecorum a lege Moysis aversio minueretur. In hoc opere, ubi auctor demonstrare conatur, philosophos et poetas Graecorum multa a Moyse deprompsisse, inter alia dicit, Moysen solitum esse multiplicem sensum verbis subjecere, quem homines acuti intelligent, rudes autem cortici Scripturae adhaerentes et nihil sublimius narrari putantes minime. (Euseb. Praep. ev. VIII. 10.) Eadem interpretatio in sectis essenorum et therapeutarum (teste Philone), et postea inter gnosticos vigebat.

Maxime autem hanc interpretationem coluerunt *Philo* Judaeus († 39. post Chr.) et *Judaei Alexandrini*. Philo quidem sensum litteralem multorum locorum, praesertim legum Pentateuchi agnoscit, sed eum in narrationibus plerisque tantum simplicibus et indoctis destinatum esse docet. Sapientem debere in sensum occultum, allegoricum, mysticum, spirituale, typicum inquirere, praesertim, quum sensus litteralis absurdus vel Deo indignus esse videatur. Sensus litteralis corpori, allegoricus animae comparatur. Ita Philo censet, historiam patriarcharum non esse, nisi sensibilem idearum moralium ac theocraticarum representationem. Adam esse symbolum inferioris hominis, Cain egoismi, Noe justitiae, Saram philosophiae, Rebeccam sapientiae, Abraham, Isaac, Jacob aliarum virtutum. Quattuor fluvios Eden esse quattuor virtutes cardinales, arborem vitae pietatis, arborem scientiae prudentiam, serpen-tem voluptatem, Aegyptum symbolum corporis, terram Chanaan pietatis, turturem sapientiae divinae, columbam sapientiae humanae etc. (De Abrah. De migrat. Abrahae. Cf. De vita contempl.) Ipse Josephus Flavius dicit, a Moyse nonnulla quidem scite relata esse, alia allegorice cum dignitate expressa. (Ant. Proem. 4.) Eandem interpretandi rationem postea etiam rabbini amplexi sunt, et praesertim in midrašim secuti. Quidam talmudistarum S. Scripturae multiplicem (49,70 imo 600,000) sensum tribuerunt. Etiam neoplatonici, gnostici Aegyptii atque ipsa schola Alexandrina Christiana allegoriis delectabantur; imo Origenes vehementer hac in re erravit. Medio autem aevo schola Majmonidae interpretationem allegoricam resuscitavit.

Respondemus

a) Sensus translatum, allegoricum etiam nos certis Scripturae locis admittimus; sed narrationes historicas, e. g. vitam patriar-charum meras allegorias esse, pernegamus. Illae enim ut historiae proponuntur, a recentioribus libris sacris et traditione Judaica atque Christiana pro narratione vere factorum habentur, et in multis etiam historiae profanae testimonio confirmantur. b) Etiam sensus spiritualis seu typicus in Bibliis adest, sed tantum in quibusdam locis, revelatione manifestatis. Sensus tamen litteralis praeter spirituale remanet. Ceterum Philo per sensum typicum idem, quod per allegoricum intelligit. c) Miracula possilia et vere facta sunt, quae ergo Graecorum incredulorum gratia dimittere nimia certe fuit benevolentiae captatio. d) Narrationes biblicae sine contorta ac ridicula interpretatione allegorice accipi plerumque non possunt.

Conf. supra §§ 91. et 92.

## § 98.

## Interpretatio Judaeorum a medio aevo.

1. — *Interpretatio Qaritarum.* Tempore, quo pars Mohammedianorum (Šiitae) traditionem (sunnam praeter qoranum) reje-  
cerunt, etiam multi Judaeorum inter eos viventium adversus Talmudem, a scholis Babyloniae alterum praeter Toram codicem legalem constitutum, imo in usu legi Moysis anteposatum insur-  
rexerunt. Hi fuerunt Qaritae, קָרִיטָאִים a R. Anan saec. VIII. in Babylonia conditi, et postea in Palaestina aliisque orientis regionibus propagati, qui merito protestantes Judaei vocantur. Hi sicut sadducaeи Christi aequales omnem traditionem dogmaticam et exegeticam authenticam, itaque omnem halakham traditionalem repudiarunt, solam Scripturam retinentes, quam duce ratione propria interpretabantur. Partem autem haggadae, quae ipsis bona videbatur, retinuerunt. In interpretando sensum Scripturae litteralem sequuntur, sed mysticum non omnino respnuunt. Consensu tamen synagogae aliquam auctoritatem tribuunt. Qaritae magno opere se ad studia biblica atque critica applicarunt, iisque sunt auctores etiam Masorae. Interpretationes in commentariis eorum et aliis scriptis sunt conservatae.

Qaritae optimo sane jure traditiones rabbinicas et halakhas rejecerunt. In eo tantum errarunt, quod etiam traditionem antiquam anterabbinicam neglexerunt, et sophistica vaticiniorum Messianorum interpretatione nixi ipsi quoque verum Messiam aversati sunt. Insuper fatendum est, etiam eos saepe litteris apicibusque inhaesisse.

2. — *Interpretatio qabbalistica.* Absurda et ridicula exegesis Judaicae aberratio est interpretatio qabbalistica, quae mysticum sensum ex numero litterarum ac verborum et arbitraria litterarum combinatione ac mutatione eruere, vel constituere nititur. Hujus principia jam ultimis ante Christum saeculis inveniuntur; tunc enim Judaei arcana litterarum ac numerorum scrutari et colere coeperunt, cuius moris, nonnunquam rationabilis, vestigia in ipsis libris sacris occurunt. (Cf. Apoc. 13, 18.) Verum apud gnosticos et in partibus haggadicis Talmudis lusus qabbalistici et conjecturae litterarum ac numerorum nimiae increbuerunt.<sup>1</sup> Ex quibus

<sup>1</sup> Qabbalam sapiunt etiam lusus verborum, litterarum et numerorum in theologia Judaeorum frequentissimi; item signa mnemonica *simanim* סִמְנִים stenogrammata et abbreviations nominum rabbinorum etc. Ipsa regula hermeneutica rabbini El'ezer 29. est *gematrija*, et reg. 30. *notaricon*.

medio aevo, saeculo prae-  
sentim IX. systema ortum est interpretationis qabbalisticae, plurimis rabbinis medii aevi acceptae, quae postea aliquantum reicta, saeculo XVI. iterum invaluit.

Qabbalistae praeter halakham et haggadam tertiam sensus speciem, eamque mysticam (sithrē Torā = arcana, abscondita Legis) pariter ex traditione antiquissima derivatam venditant, quam vocant *qabbalam* קַבָּל (Pi. accipere). Sensum Scripturae litteralem rejiciunt, et in omni narratione, pracepto, verbo, littera, imo verborum et litterarum numero significationem occultam et doctrinas mysticas, litterarum velamine obtetas, velut animam Scripturae latere praesumunt, quas detegere conantur. Praeterea voces et litteras Scripturae secundum certas regulas mutant et sensum ita elicunt ut sensum arcanum.

Insuper qabbalistae mysticam theosophiam profitentur. Deum, ejusque domum et thronum visibiliter repraesentant. More gnosticorum decem sphaeras seu choros spirituum e Deo emanasse autumant, quorum opera Deus foras agat. Similiter regni daemonis novem statuunt sphaeras seu gradus, et mythologias angelorum ac daemonum configunt. Etiam emanationem mundi ex Deo docent. Deum vocant »antiquum dierum« עָתִיךְ יָמִים. Etiam Logon divinum admittunt, numerumque ternarium sacratissimum habent. Praeexistentiam animarum profitentur et metempsychosim, in qua animae purgentur. Per sensum Bibliorum mysticum, imprimis enuntiationem nominis Dei, ipsum Deum moveri, cogi, quasi dicto audientem et oboedientem fieri, et ita miracula patrari posse existimant. Torā homines a daemonis potestate liberari. Tempus adventus Messiae, quod instare censebant, arte et conjecturis suaे interpretationis reperire conati sunt. Vitam asceticam colebant, visionibus ac revelationibus gloriabantur, et magiam exercebant.

Artificia qabbalistarum hermeneutica praecipua, quibus sensum arcanum reperiunt, sunt sequentia.

a) *Gematrija* גֵּמָטרִיה (γεωμετρία) vel ut alii lectionem corrige volunt γεωμετρία, qua tum litterae vocis pro numeris accipiuntur, et ex his numeris doctrinae occultae colliguntur, tum voces ac sententiae, quarum eadem est vis arithmeticā, connectuntur vel ad eandem rem personam referuntur.

E. g. ex eo, quod primo et ultimo Ant. Testamenti versiculo (secundum canonem Judaeorum Gen. 1, 1. et II. Par. 36, 23.) sena aleph inveniuntur, qabbalistae conjiciunt, mundum sex milia annorum duraturum esse. — In midraš lamentationum (Ekhā Rabbā) prima libri vox אֵיכָה per gematrijam significat Judaeos in captivitatem deductos esse, quem

contempsissent unum & Deum, decem praecepta, circumcisionem post viginti patriarcharum generationes institutam et quinque libros Moysis. — In Talmude (Berakhoth 8. a) ex eo, quod vox **תְּצִוָּה** (= exitus) arithmeticice significat 903, concludunt totidem esse genera mortis. — Messias **מֶשֶׁיחַ** = 358, serpens **נָחַשׁ** = 358; sed vox Messiae una littera serpentem superat, ergo etiam Messias serpentem superabit.

b) *Notaricon* (**נוֹטָרִיקָן** / *nōtārikōn* abbreviatio) est tum dissolutio vocis in sententiam ita, ut singulae litterae pro initialibus vel symbolis totidem vocabulorum habeantur; tum formatio novae vocis ex primis (vel ultimis) litteris vocabulorum propositionis. (Acrostichon.) Propositio vel vox ita nata dicitur sensus arcanus, sub verbis latens.

E. g. III. Reg. 2, 8. Semei (**שִׁמְיָה**) dicitur Davidem maledicto **נַּמְצָה** i. e. *vehementissimo* increpasse. In singulis litteris hujus vocis midras et Talmud (Shabbath 104. b) totidem verba contumeliosa latere existimant: **אֲנָא** adulter, **מוֹאָב** Moabites, **רוֹצֵחַ** homicida, **צָוָרָה** leprosus (vel oppressor), **חוֹעֲבָה** abominatio. — Sanctissimo nomini Jesu abbreviatio **יְשָׁוָאֵל** rabbini (Talmud Jerosol.) hanc supponunt significationem: **יְהָשָׁמֵן** **וּכְרוּ** i. e. deleatur nomen ejus et memoria ejus. Aliae etiam explicationes qabbalisticae et contumeliosae nominis Jesu apud Judaeos prae- sertim medio aevo extiterunt. (Cf. Joann. Buxtorf, *De abbreviaturis, ad vocem ישׁוֹאֵל*.) — Ad quaestionem **לְמַה יְעַלֵּה - לְמַה הַשְׁמִינִיה** quis adducet nos in coelum? responderunt rabbini litteras quaestione initiales conjungendo: **מֵילָה** = circumcisio. — Litterae vocis **אָדָם** **אָדָם** significant Adam, David et Messiam, unde colligitur animam Adae in David migrasse, et mox in Messiam migratram esse.

c) *Temurâ* (permutatio **תְּמֻורָה** permutebat) est permutatio litterarum vocis cum aliis, arbitrario vel ad certas leges facta, qua nova vox oritur, quae sensum qabbalisticum exprimit.

Hoc dupli modo fit. α) Permutatione *naturali*, si litterae vocis inter se anagrammatice transponuntur; e. g. **מֶלֶךְ** (Exod. 23, 23.) angelus meus, per translationem dat nomen angeli, qui eo loco intelligendus est: **מִיכָּאֵל** Michael. β) Permutatio *artificiosa* fit aliqua alphabeti inversione, seu in locum litterarum alias secundum certam regulam supponendo. Hujusmodi permutationis duplex est ratio: αα) *athbaš* **אַתְּבָשׁ** scil. pro prima alphabeti littera ultima, pro secunda paenultima et sic porro; ita e. g. (Jer. 25, 26. 51, 41.) pro **בְּבָלָם** posita esse dicitur vox **שָׁשָׁן** ne rex Babyloniae offenderetur; ββ) *albam* **אַלְבָם** pro prima littera Ι ponitur duodecima נ, pro secunda ב decima tertia מ etc; ita e. g. Is. 7, 6. pro **טְבָאֵל** quidam rabbini legendum putant aliud nomen proprium **גְּמָלָא**.

Interpretatio qabbalistica, ut patet, tam contorta est atque absurdia, ut eam refutare opus non sit. Certe latus est et aenigma, non investigatio sensus erudita. Sapientia Dei non patitur, ut mysteria sua ejusmodi signis fortuitis, incertis et naturae sermonis contrariis recondat, quum ea aliis modis prudenter revealare possit. Sane rarissime et per exceptionem fieri potest, ut aliquis aenigmata litterarum utatur, ad aliquid interim celandum, postea manifestandum; sed ejusmodi aenigmata non possunt prudenter frequentari.

### 3. — Interpretatio eclectica.

Maximi interpretes Judaeorum medii aevi et plurimi recentiores, quos eclecticos appellare licet, varias interpretandi rationes conjungunt, aut modo unam, modo aliam sequuntur. Hi etsi interdum saniore interpretandi genere utuntur, plerumque tamen interpretationem pharisaico-talmudisticam, allegoricam, qabbalisticam et rationalisticam confundunt. Imprimis moderni, pars interpretationem allegoricam renovant, quam etiam in vaticinia Messiana extendunt, pars rationalismum profitentur; plerique tamen illi et isti Messiam idealem fingunt, et genti suae gloriam monotheismi, morumque generis humani reformatorum laudem vindicant. Quae omnia argumentis contra singulos errores allatis vel afferendis refelluntur.

Fatendum tamen est, a saeculo XI. multos fuisse Judaeorum interpretes, qui scientiis Arabum et Christianorum imbuti, meliorem in exegesi viam tenerent, sensumque grammatico-historicum, lingua Hebraica, traditione et historia usi, erudite investigarent. Etiam temporibus nostris inveniuntur, qui — interpretatione locorum Messianorum et Novi Testamenti excepta — sanae hermeneuticae leges observant, quamobrem laudem etiam Christianorum meruerunt.

### ARTICULUS SECUNDUS.

#### Interpretatio rationalistica.

##### § 99.

###### Origo, divisio et falsitas rationalismi biblici.

1. — Jam pridem fuerunt, qui supernaturalem Scripturae auctoritatem negarent vel laederent; sed demum saeculo XVIII. sistema rationalismi biblici ortum est latiusque diffusum. Est autem *rationalismus biblicus ipse rationalismus dogmaticus in Biblia applicatus*, *S. Scripturam pro libro naturali habens atque tractans*, et